

AK. 529, Z

B. m. II



DE
BIBLIOTHECA SILESIORVM
OLSNENSI

AD
VIRVM CLARISSIMVM
CHRISTIANVM THEOPHILVM
HABICHT

WRATISLAVIA - SILESIVM
SVMMOS PHILOSOPHIAE HONORES
EX MERITO CAPESENTEM

EPISTOLA
SAMVELIS WENCESLAI KROLL
OLSN A - SILESII.

LIPSIAE
LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMI.



LIBRARIUS
MUNICIPALIS
DIEGO DE

LIBRARIUS
MUNICIPALIS
DIEGO DE





In ter antiqui splendoris monumen-
ta, quibus haud vltima inter SILE-
SIAE vrbes, OLSNA post ferale
illud quo d anno MDCCXXX. ibidem
contigit incendium, adhuc gaudet,
admodum sibi conspicuum vindicat locum, insignis SERENISSIMORVM DVCVM
OLSNENSIVM BIBLIOTHECA in Arce
Ducali asseruata.

Non adeo hoc et OLSNAE et SILESIAE no-
strae hucusque innotuit decus, cum praeter ea,
quae vel clarissimus *Sinapius* (Part. II. Olsnogra-
phiae p. 269. sqq.) vel anno praeterlapso *Colle-
ctor Diarii cuiusdam solertissimus Schlesiens*
gelehrte Neuigkeiten insigniti (mense Septembr.
pag. 315.) commemorarunt, nihil fere extet,
quod rei litterariae amatores de insigni hac no-
stra supellecstile libraria certiores faciat. Praestan-
tiora autem longe sunt, quae isthic conspicun-
tur,

tur, quam quae et *Sinapius* et *Compilator* antea nominatus, de ea nobis tradiderunt. Haud ingratum exinde fore existimau, si quaedam, licet rudi penicillo delinearem, et ea, quae ex speciali gratia Viri et de hac ipsa Bibliotheca et de re Olsniensium scholaistica meritissimi *Martini Beniaminis Goskii* accepta habeo, pagellis hisce committerem.

Ad primordia itaque huius quod attinet Bibliothecae, ad annos regiminis **HENRICI II. BEROLSTADII** regentis, e Gente Ducali Monsterbergica oriundi, respiciendum est, qui primas ibi, vti videre licet, colligendae huius Bibliothecae habuit curas; cum vero post obitum Ducis huius, filiique **HENRICI III.** anno MDLXXXVII. demortui, vniuersa Ducatus Olsnensis terra, **CAROLO II.** vere pio imo et **FELICI** cederet, omnia quae iussu Serenissimi **HENRICI II.** collecta fuerant, **OLSNA M** transferebantur, et temporis successu magis magisque augebantur.

Posita sic feliciter sunt imminentibus illis belli tricennalis feralibus flammis, priora insignis eiusmodi **OLSNAE** decoris fundamenta, quibus iam tum temporis atrox militantium manus, nostro autem aevo rapidus ignis furor pepercit.

Non minor quoque erat pro conseruanda,

augen-

SILESIORVM OLSNENSI. 5

augenda, ornandaque hac Bibliotheca Serenissimorum ex Gente Würtembergica Ducum cura.

Excreuerat enim per regiminis tempora, SERENISSIMI, qui per matrimonium cum vnica CAROLI FRIDERICI (Ducis ex Gente Monsterbergica Olsnensium vltimi) filia, MARIA ELISABETHA, toto hoc Ducatu Olsnensi anno MDCLXIX. potiebatur, SYLVII NIMRODI, officina haec litteraria in magnum iamiam numerum, quem tandem anno MDCLXXVI. Celsissimorum Fratrum Trifolium, DUCES OLSNENSIVM SERENISSIMI, SYLVIUS FRIDERICVS, CHRISTIANVS VLRICVS et IVLIVS SIGISMUNDVS in ordinem elegantissimum redigi curarunt.

Anno autem MDCLX. nouum iterum idque splendidissimum accessit supplementum. Iussu enim Serenissimi Principis CHRISTIANI VLRICI, FRATRI SERENISSIMO, SYLVIΟ FRIDERICO succendentis, quae BEROLSTADII denuo collecta fuerat, elegans valdeque conspicua librorum adiungebatur multitudo.

Dignissimum hisce Principibus institutum inuitauit hinc inde et alios, quo sua, pro viribus suis, ad augendam ornandamque conferrent Bibliothecam.

Ex his, meritissimus de Regimine et Confistorio SERENISSIMORVM DVCVM OLSNFNSIVM

A 3

SIVM

SIVM Consiliarius, *Christophorus Schroeer* (de quo Sinapius Part. I. p. 686.) annuente clementer Principe vi ultimae voluntatis anno MDCCV. elegantes, maximam partem iuri colendo inferuientes libros numerosae iam Ducali Bibliothecae accedere iussit. Cuius paulo post, in tam laudabili munificentia vestigia pressit generosissimus *Boeckel Paulus a Bornefeld*, Principi Serenissimo CHRISTIANO VLRICO a Consiliis, Stabuli Magister, et Serenissimi nunc regnantis Ducis CAROLI FRIDERICI, nominis huius II. Domini mei longe clementissimi, summus aulae Praefectus. Collegerat per multos annos exquisitissimorum librorum apparatus excellentissimus ille *a Bornefeld*, praeter insignem eruditionis et rei historicae cognitionis laudem, quam sibi acquisuerat, inque eo totus erat, ne ullum suis infereret librum, qui iam in Ducali existeret Bibliotheca. Quae celeberrimi huius viri rarissimorum pretiosissimorumque, modernorum ut plurimum scriptorum collectio, iterum per testamentariam dispositionem Bibliothecae SERENISSIMORVM DVCVM tanto successu fuit addicta, vt, cum paucis ab hinc annis, vir iste munificus diem obiret supremum, summa necessitas postularet, quo locus Bibliothecae Ducalis mutaretur, librique antea in duobus atriis, (quorum Sinapius Part. II. Olsnogr. p. 268.

et

et 269. mentionem fecit) sepositi, facta hac noua accessione, in nouum maioremque transportarentur locum.

Dicabatur vero Bibliothecae huic, quae cum Ducali hoc pacto in vnam coaluit, elegantissimus amplissimusque locus, quem p. 267. l. c. *Sinapius den Sophien-Saal* nominatum fuisse notat. Reperitur autem nouus Musarum locus in tertia arcis contignatione Occidentem versus, vergitque per totam palatii longitudinem a Meridie ad usque Septentrionem.

In augusto hoc elegantissimoque loco, hae, primis omnino SILESIAE Bibliothecis adiungendae, nostro nunc tempore conspicienda sunt litteratorum deliciae.

Intrantibus, Atrium hoc amplissimum sese offert, in tria conclavia diuīsum. In medio, per quod sinistram versus in ipsum Bibliothecae conclave ingredimur, exhibent sese statim icones SERENISSIMORVM DVCVM MONSTERBERGA- OLSNENSIVM elegantissime ad viuentis staturam depictae. Fit exinde in ipsum Bibliothecae penetrale digressus, praestantissimorum librorum apparatu instructum, adeo, ut nostra omnino inter principes SILESIAE sit referenda Bibliothecas, si vel numerum librorum vel ipsam materialium respicias dignitatem et pretium.

Deficiunt isthic nulli fere superiori quod audiunt

aiunt *Facultati vel Disciplinae* opera seu scripta rariora, quae eruditorum desideriis quam maxime possunt satisfacere.

Habent THEOLOGI multos eosque rariissimos Bibliorum codices, optimosque exegetos scriptores; Nec desunt celebratissimae eruditis Patrum Scriptorumque ecclesiasticorum editiones. Habent et hic Historiae ecclesiasticae amatores, optimorum in primis Anglicanorum, Gallorumque scriptorum quoad antiquitates, quoad ritus, quoad liturgiam eximum prorsus numerum. Nec minor Operum Theologicorum cum *Protestantium*, ut vocant, tum *Catholicorum* isthic prostat copia.

Optime itaque haud poenitendo labori oleum atque operam impendunt sacrarum litterarum cultores in hoc eruditio nis adyto, rebusque suis egregie hic loci consuli, vel ex eo vident, quod nullis ad primaeuae Ecclesiae scientiam adiumentis destituantur, limpidissimaeque historiarum scaturigines huic disciplinae optime enodandae apprime bene ancillentur, publiceque testentur SERENISSIMOS OLSNENSIVM DVCES rem THEOLOGICAM non minus, quam IURIS SCIEN-
TIAM voluisse instructam.

Haec, quae nobis IURIDICA audit Facultas, merito sibi praeceteris vindicabit scientiis locum. Praeter Iuris Peritorum veteris aeu*i*,
quibus

quibus nostra fere omnibus referta est Bibliothe-
ca, Scripta modernorum quoque ICtorum ad-
modum multa adsunt. Inuenies in loculis et
pluteis nostris, speciem cuiusvis iuris, optimis
instructissimam libris, tam quoad Fontes, quam
Commentatores seu vt prior eosdem vocabat
aetas Gloffatores, Opera, Systemata, Compendia,
Leges, Argumenta iuris singularis, Consilia, Defi-
nitiones, Axiomata, Decisiones, Scriptores Practi-
cos, aliosque excogitatorum scrupulose Reperto-
riorum, Speculorum aliorumque horrorem paene
incutientium titulorum concinnatores, adeo vt et
in hac Scientiarum parte nulli SILESIORVM su-
pellecili librariae nostra cedat Bibliotheقا.

Sed nonsolum Themidis ibi sua habent ad-
minicula Sacerdotes; Habet quoque saluberrimus
MEDICORVM Ordo armaria sua libris reple-
ta. Sufficiat ex his opus illud rarissimum notare,
quod **HORTI EYSTETTENSIS** nomine inclaruit
quodque cimelium in maximum Bibliothecae no-
stra decus ibidem asseruatum florilegum in sui
admirationem rapit contemplatorem. Gloria-
mur omnino de insigni hoc opere, cum primis au-
tem quod Serenissima Princeps **CHRISTIANA**,
Serenissimi Ducis Saxo-Martisburgensis **CHRI-
STIANI** dilectissima Coniux, propria manu
pretium omnem superans aestimationem huic
Horto conciliauerit; Illum enim, quem floribus et

B

plan-

plantis deesse videbat colorum splendorem, tanto addidit artificio, ut nec minutissimas ramulorum venulas, fibras, ductusue designando prae-terierit, cumque splendidum hoc Opus felicissime absoluerit, neminem SERENISSIMO GENERO svo Duce Olsnensium CHRISTIANO VLRICO digniorem existimauit, cui tantum solertissimae manus suaे artificium, muneri offerret. Nec poterat tam stupendus labor, a Principis manu natales petens, aliunde commodius collocari, quam vt ad Principis iterum reueteretur manum; Quo venit vt in tantae munificentiae maiorem splendorem, grati animi ergo propria Laudatissimus Dux CHRISTIANVS VLRICVS manu sua, primo statim folio testatus sit, se egregium hoc opus ex manibus Serenissimae suaे Socrus dono accepisse. Nostrae autem, de qua nobis sermo est, Bibliothecae, magno dicitur honori, quod tantae Principis incomparabile solertiae in scriniis suis conseruet posteritati documentum.

Praeter receptacula libris medicis repleta ha-bemus adhuc sub PHILO SOPHICA E classis nomine insignem et fere maximum *Historiorum, Antiquariorum et Philologicorum* librorum nu-merum, de quorum praestantia et multitudine af-ferere haud dubitamus, paucissima vel plane nulla hic desiderari volumina, quae votis eruditorum respondere valeant. Ut Geographos, Chro-nologos,

nologos, Artis Heraldicae scriptores et Mathematicos, quorum etiam insignis valde numerus adest, taceam, de *Gronouii* et *Graeuui* saltem dixisse sufficiat operibus, quibus *Pigbii*, *Gyraldi*, *Glandorpii*, *Patini*, *Vaillantii*, *Begeri* atque aliorum huius ordinis virorum scripta adiungas quae isthic omnia pretiose ligata visenda, alias vero non vbi uis Bibliothecarum obuia sunt.

Perlustrantibus tandem MSSta, duo praesertim fese oculis exhibent, quae ob illustrem auctorum suorum conditionem notari omnino merentur. De vtroque celeberrimus iamiam *Sinapius* tam quoad auctorem, quam quoad contenta, est commentatus.

Est autem prius quod hic adductum voluimus, Illustrissimi anno MDXCII. die XVIII. Ianuarii, Romae, anno aetatis decimo septimo demortui Ducis Monsterberga-Olsnensis, HENRICI WENCESLAI Itinerarium, quod anno MDXCII. die XIV. Ian. cum peregrinationem ad exterios susciperet, inchoauit quidem, morte autem praeuentus absoluere non potuit. Memorabilia admodum multa et de morte et de Itinerario huius Principis Iuuentutis prudentissimi, *Sinapius* Part. I. Olsnogr. pag. 190. sqq. adduxit, quibus hic de novo recensendis non immorabimur.

Alterum, cuius quoque mentionem inieciisse haud erit ingratum, MStum, eiusdem nominis et

Gentis auctorem habet, prioris HENRICI
WENCESLAI Fratrem, DVCEM MONSTER-
BBRGA - OLSNENSEM FORTISSIMVM, HE-
ROEM INCOMPARABILEM, PRINCIPEM SA-
PIENTISSIMVM, anno MDCXXXIX. die XXI. Augusti
demortuum, qui, dum Francofurti ad Viadrum
studiis summa cum solertia operam nauaret, pro-
pria manu, *in quatuor Institutionum Libros*
Commentarium docte et eleganter adiecit. In-
choauit opus hoc ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS prouti
ipse adnotauit, an. MDCIX. die XXIX. Octobris,
finemque mense eodem anni imposuit subsequen-
tis, colophonis autem loco sequentia addidit:
Prima Iuris Elementa breuiter et quasi per in-
dicem Tironibus esse proponenda, quod Impera-
tor etiam ipse monuit. Idem et a me factum esse
divina adiuuante Gratia, praesens hic commen-
tariolus abunde satis demonstrat.

Duobus his manu conscriptis codicibus
merito adponamus *Epistolam* Beati nostri LV-
THERI anno MDXLI. reuiuiscentis purioris fidei
doctrinae causa ad Illustrissimum Ducem Mon-
sterberga- Olsnensem HENRICVM II. conscrip-
tam, quae inter Opera B. LVTHERI Ienae edi-
ta Tomo VII. fol. 443. legenda est.

Ad sunt adhuc alia bene multa, quorum ve-
ro recensionem tum perbreues huic schediasmati
destinatae paginae, tum temporis penuria prohi-
bent.

bent. Praeter *Album*, nobis ein *Stamm-Buch* dictum, quod Serenissimus anteal laudatus HEN-
RICVS WENCESLAVS memoriae sibi charorum dicauerat, conspicuntur quoque *chartae lusoriae*, variis, potissimum biblicis figuris af-
fabre notatae, quibus singulis sententiae subscriptae sunt biblicae. Tantum vero abest, ut hisce
chartis antiquitatem simulatque raritatem dene-
gandam statuam, ut potius eandem propter con-
spicuum quam e propria specie produnt, vetusta-
tem communemque raritatis atque antiquitatis
famam ex merito in hoc eruditionis tablino inter
memorabilia iudicem asseruandas. Hoc autem vix
mihi persuasum habeo, IOHANNEM FRIDERI-
CVM Electorem Saxoniae, his ipsis ludendo oc-
cupatum fuisse, cum illi ultimum a CAROLO V.
Imperatore decretum supplicium annunciaretur;
Ille enim, qui fide documentorum publicorum Se-
renissimorum Ducum Saxoniae, *Annales Saxo-
nicos* summa cum industria conscripsit, Iohannes
Sebastianus Müller, Secretarius Curiae Feudalis
et Archiuarius Serenissimi Ducis Saxo-Vinarien-
sis, ad annum MDXLVII. memoriae prodidit IO-
HANNEM FRIDERICVM omnino quidem
lusisse, cum triste mortis suae nuncium percip-
eret, non autem *chartas lusorias*, sed alium
plane *latrunculorum* quippe *ludum das Schach-
Spiel* una cum Duce ERNESTO OLVNEBVR-

Hildegard

B 3

GICO

GICO tractasse; cui intentus mortis periculum contemnens ad DUCEM ERNESTVM, quem ad lusum latrunculorum continuandum inuitauit, hoc latino verbo vsus: *Pergamus.* Assentit et hac in re Historicorum tum temporis facile Princeps *Jacob. Augyst. Thuanus* in Histotia sui temporis ad annum MDXLVII. Libro IV. DUCEMQUE cum quo Elector IOHANNES FREDERICVS Saxo latrunculis lusisset *Brunsvicum* vocat. Hinc ea, quae in *Diario Silesiaco* sub initium citato de chartis his lusoriis adducuntur, dubiae plane fidei esse videntur: cum interim hae ipsae chartae aliam famae suae originem aliunde facile queant habere.

Afferuantur tandem in hoc ipso Bibliothecae conclaui singulorum et COMITVM et DV-CVM WÜRTTEMBERGENSIVM imagines elegan-
tissime viuis depictae coloribus, seruata pro di-
uersitate acui vestitus ratione; quibus singulis, in
ipsa picturae tabula, ad marginem descriptio me-
morabilium factorum, vitae et mortis adiecta le-
gitur, imo et saepe facta notatu dignissima a tergo
dclineata cernuntur.

Essent sane, si argumenti grauitas et memo-
rabilium abundantia ad amissim forent enar-
randae, multa eaque plurima, prolixiori filo de-
ducenda, quae temporis rationem habituro nunc
sicco pede sunt transeunda; Sufficiat interea ex
autopsia

autopsia adstruxisse multa adhuc, nec trita, nec vulgaria, quin imo nec alibi et in multis pinacothecis haud obvia obseruasse, adeo, ut curiosum et veterum et recentium rerum indagatorem laboris adeundae Bibliothecae non poenituerit.

Quod et de *rerum tam naturalium quam artificialium*, in tertio atrii huius magni conclavi Septentrimonem versus sito, repositarum libertate dicendum; admodum enim difficilis molestusque esset labor, quam ut singulorum pro diuersitate et pretio suo descriptionem, perbreues haec caperent tabellae. Adeo, quo breuibus omnia dicam, rerum fossilem, mineralium, conchyliorum, pectinum, arte praeparatorum, picturarum, ludente curiose natura productorum, instrumentorum quoque Mathematicorum, denique omnis fere antiquorum Incolarum huius terrae e terra effossae rei sepulcralis, vrnarumque ad MASLENSEM, Ducatus Olsnensis, pagum, detectarum tantas curiositas, concinnitas, venustas, raritas et multitudo, ut rerum elegantiam, si contemplatorem spectaueris, expectatio, expectationem rerum objectarum obtutus, obtutum admiratio stuporque superent.

* * * * *

Non in malam interpretaberis partem Vir
clarissime, Domine M. HABICHT, quod
TIBI honores Philosophiae Magistri ex meri-
to

QK Tha 194 x 320 Gauß

16 DE BIBLIOTHECA SILESIOR. OLSNENSI.

to capessenti gratulaturus de *Bibliotheca patria* quaedam fuerim praefatus. Commune TIBI mecum SILESIAE solum patrium, communis patriae amor, singularis Bibliothecarum visitandarum TVVS ardor atque amor idem illud postularunt, ita ut argumentum praefaminis, amorem et studium patriae non potuerit et debuerit non coarguere. Cordati hominis esse haud putaui ut gratulabundus aliorum ritu patriam alterius perstringerem vel publico contumeliose diuexarem scripto, vel pios demortuorum cineres dente roderem Theonino, vel viuentium famam contemtui haberem et derisui. Sed meliora edoctus trita honestorum via incedam moreque patrio, quod Deus T.O.M. bene feliciterque TIBI euenire iubeat, omnia fausta apprecabor. Conferat digna meritis TVIS munera, patria TVA vrbs WRATISLAVIA. Largiatur SVMMVM in coelis NVMEN optimam TIBI semper valetudinem. Sic et munere conspicuum, et sanitate laetum hilaris vltimum compello : Vale, nostrae memor amicitiae ! Dabam Lipsiae d.
XXX. Aprilis. Anno M DCC XXXV.



B.I.G.

Black

White

3/Color

Red

Magenta


Cyan

Yellow

Green

Blue

Farbkarte #13



QK. 528, 12

B. m. 77

II a
124

DE
BIBLIOTHECA SILESIORVM
OLSNENSI

AD
VIRVM CLARISSIMVM
CHRISTIANVM THEOPHILVM
HABICHT

WRATISLAVIA - SILESIVM

SVMMOS PHILOSOPHIAE HONORES
EX MERITO CAPESENTEM

EPISTOLA
SAMVELIS WENCESLAI KROLL

OLSNA - SILESIA.

LIPSIAE
LITERIS IOAN. CHRISTIANI LANGENHEMI.

